



## **Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.**

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum  
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra  
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure  
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;  
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &  
heriditarias quasi successiones

**Epo, Boetius**

**Duaci, M.D.LXXXIIX.**

91 Quæstio de viribus & effectu resignationis in fauorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

pontificatum gesserunt : ne quasi priuatæ suc-  
 cessionis cuiusdam vel minima relinqueretur  
 imago posteris. Author est præter alios pluri-  
 mos Antiquitatum ecclesiasticarum scriptores  
 ipse D. Hieronymus in vita scriptorum eccle-  
 siasticorum à se conscripta, Clementem fuisse  
 quartum ab Apostolo Petro Pontificem Ro-  
 manum; siquidem secundus, inquit, Linus fuit,  
 & tertius Cletus; tametsi plerique Latinorum  
 secundum post Petrum Apostolū putent fuisse  
 Clementem. sic ibi D. Hieronymus. addit Pla-  
 tina sub finem vitæ D. Petri, Linum & Cleum  
 à Clemente per modestiam fuisse coactos ante  
 se munus Pontificatus obire, ne posteris hæc  
 principatus ambitio perniciosi exempli habe-  
 retur; cum tamen Petrus eidem quasi ex testa-  
 mento locum successionis tradidisset. vt sum-  
 moperè demirandum sit, vel Couarruiam vel  
 Duarenum vel alios homines ullos inueniri  
 potuisse qui scrupulos ex resignationibus istis  
 in fauorem nullos omninò sentirent; in quo-  
 rum tamè numero magis equidem demor re-  
 periri quoque Staphileum in tractatu suo de  
 literis gratiæ & iustitiæ part. i. tit. de variis mo-  
 dis vacationis. §. posset tamen probabiliter  
 dici. fol. 66. pag. versa editionis Veneræ. Ca-  
 terum, quæstionis est perelegantis & perdiffi-  
 cilis, an conditionalis hæc vel in fauorem re-  
 signatio facta corā ordinario, sit omninò nul-  
 la, sic videlicet vt ne resignanti quidem noceat  
 sed beneficium suum perinde retineat quasi  
 non resignasset; an verò resignatio quidem  
 valeat

91  
 Quæstio de  
 viribus &  
 effectu Resi-  
 gnationis in  
 fauorem.

valeat ipsa, sed conditio sola reiiciatur, ita ut ordinarius perinde possit id conferre cuilibet alteri cuicumque velit ipsemet, ac si simpliciter & pure facta fuisset resignatio. Rebuffus in praxi sua beneficiorum parte 3. tit. de resignatione condicionali quam in fauorem vocant nu. 7. & seqq. existimat, ac rationibus nonnullis probare nititur, talem resignationem totam prorsus esse nullam, adeo ut ne resignanti quidem noceat quatumlibet Episcopus eam quasi simpliciter factam acceptasset reiecta nimirum sola conditione tanquam inuili. rationibus mouetur potissimum his duabus, tum quod condicionalis hæc sit resignatio, qua quidem conditione non eueniente (id est Episcopo hoc beneficium resignatum non conferente illi in cuius fauorem resignatio fiebat) resignatio censeatur nulla l. illæ autem institutiones. 71.  $\pi$ . de hered. instit. tum quod vnus & idem actus diuersas continens clausulas non possit pro parte recipi pro parte reiici arg. l. Aurelius. 28.  $\S$ . idem quæsiit.  $\pi$ . de liberat. legat. ne cætera nunc eius argumenta minoris momenti recenseamus. At alij plerique omnes Episcopo volût esse liberum, reiecta conditione, id est non habita ratione illius in cuius fauorem resignatio fiebat, beneficium hoc alteri cuilibet conferre: nisi quod Couarruias dicto num. 5. vers. & quamuis alteri. collationem ab Episcopo factam ab ipso Summo Pontifice eiusque supremis iudicibus forsan ex æquitate rescindendam fore persuasum habeat,

d iij vt vel

92  
Episcopii pro-  
re posse acce-  
ptare resigna-  
tiones in fa-  
uore. Et be-  
neficium sic  
resignatum  
conferre cui-  
libet alteri.